



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Congiarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Caligula. Titus Vespasiani numi. Julia Augusta & Faustina Pia numi. M. Aur. Antonini Brit. M. Jul. Philippi numi.

EAdem species, uti superius de Bassiano dictum, relatum quempiam in Deorum numerum ostendit, quod ex inscriptione, quæ est, Divus, intelligitur. Numus est cujus inscriptio, DIVUS AUGUSTUS, ab altera facie DIVA AUGUSTA, ipsa sella sedens conto innixa, dextera duas spicas porrigit. Juliae Augustæ numo Dea signata est sella sedens, pinum dextera prætendens, Leone accumbente inscriptio, MATER DEUM. In Divæ Faustinae Piæ simulacrum muliebre est sedens cum lancea, signis ante affixis, quod pilam cui Aquila insidet porrigit, inscriptio, MATRI CASTORUM. Nam M. Antoninus ejus maritus Faustinam subito morbo exanimatam, divam à Senatu appellatam gratulatus est. Matrem vero castrorum ideo ipse vocitare solitus, quod eam secum & in ædificiis habuerat.

SECURITAS. CAP. VI.

Cum vero proprium Deorum sit perpetua frui quiete neque illos humanæ vicissitudinis casus in posterum expavescere securitatem invenias hieroglyphicè plurimum sella compositam. In M. Aurelii Antonini Brit. numo dea sedens caput manu suffulcit, dextera radum tenet: quæ vero manus caput sustentat, eadem sellæ innititur. Inscripção est, SECURITATI PERPETUÆ. In altero Imp. M. Jul. Philippi Augusti Dea sedens est, quæ dextera sagittam tenet, lavam supra caput tollit innixam sellæ. Inscripção, SECURIT. ORBIS. In numo quodam Imp. Neronis Caesaris Aug. P. M. TR. P. P. P. Dea sedens ara apposta, radium læva tenet, dextera caput ab occipitio sustentat, cum inscriptione SECURITAS AUGUSTI, quod mihi reducit in memoriam dictum illud: *In uramq, aurem quietere.*



CONGIARIUM. CAP. VII.

Clodii Pupieni & Domitiani numi.

Jam & congiarium dari solitum simulacris tribus pro tribunali sedentibus, in numo Clodii Pupieni Jernitur. Et in numo Domitiani Cos. XIII. congiarium ipse sedens populo elargitur, cum inscriptione, LUD. SÆC. Ædes vero juxta sita est, & in tribunalis facie literæ appostæ sunt, s. v. r. p. d. quarum sententiam ita reperi à nonnullis interpretatam, *Sedem vocis firmam primo decennali.*

ÆDITUMUS. CAP. VIII.

Psal. 69. Thronus gloria quid e. Reg. 22. Esai. 6. Jerem. 17.

ÆDitumum quoque significaturi sacerdotes iidem Ægypti, hominem pro templi foribus in sede statuebant, eo amictum indumento, iisque gestaminibus ornatum, quæ late Eusebius lib. II. de præp. Evang. recenset, ubi templum Serapidis describit, & custodes hos ipsos pastophoros enumerat, à sacerdotali scilicet habitu sic cognominatos, à Latinis alias æditumos, quasi ædium indumos, alias ædituos, à tuendis ædibus appellatos, ut apud Charisium est. Prævidit David principes sacerdotum è Judæis futuros, qui adversus Christum insurgerent, cum dixit: *Adversum me loquebatur qui sedebant in porta.* Nam & idem mos pro templo sessitandi, apud Hebræos etiam fuit. Sed cur ab Ægyptiis, à gentibusve aliis exempla querimus, cum Divina ubique literæ de throno Dei tam multa protulerint? Vidit enim Michæas *Deum Israel sedentem in sede sua*, & Esaias, *Dominum sedentem super thronum excelsum atque sublimem*, & apud Hierem. *thronus gloria exaltatur ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israel*: quæ quidem omnia firmum & stabile Dei significant imperium: & ut inquit Adamantius, sive de Christo volueris ista intelligere, non peccabis: sive de Patre, non impie senseris: est enim thronus gloria excelsus & à principio, Assertor noster: propterea regnum ejus & sanctificatio nostra Christus est: quia & ille sanctificans, & nos sanctificati ex uno omnes sumus. Ideo vero eum sedere dicimus, ait Euthymius, *quod hinc Regiam ejus dignitatem stabilitatemque, & venerabilem judicis auctoritatem imaginatur.* Ita sedere super sedem suam dicitur Deus, qui late Dominus super omnes gentes regnat. Quin & malignus cum Scythas, Turcas, & plerosque alios à Septentrione barbaros, alios impios, alios hæreticos sibi addicendos præ sagisset: *Ponam, inquit, thronum meum ad Aquilonem*: inde enim mali genus